

E libris

gymnasio Mauritianio Magdeburgensi

a venerabili

Carolo Funk

theol. doctore et gymnasii directore

a. 1857 hereditate relictis.

Q. o. 167.

IACOBI SPONII
MEDICI ET PHILOLOGI CLARISSIME

DISSERTATIO
DE
VTILITATE NVMISMATVM
IN
PHYSIOGNOMIA

E gallico sermone in latinum vertit

T. B.



LIPSIAE
AP. VEIDM. HAERED. ET REICHIUM
MDCCLXXI

14031250X1

14031250X1

DIESER TATTOO

14031250X1

MUTA MUMI TATTOO

14031250X1

VIRO MAGNIFICO
SVMME VENERABILI
IOANNI GEORGIO
SCHELHORNIO

SACRARVM LITTERARVM DOCTORI ECCL-
SIAE EVANGELICAE IN REPVLICA
MEMMINGENSI ANTISTITI

PATRONO OMNI PIETATIS STVDIO
COLENDΟ

SALVTEM PLVRIMAM DICIT
TOBIAS BRANDMÜLLER
MEMMINGENSIS

ALIO MARENICO
SUBLIMA INTRICATI
IOANNI GEORGIO
SCHEFFERINIO

LATITIA OMNI TERRA ETATIS
COLLOQO

SALUTEM SILEMAM DIC
TOTIAS ILLANDUMILLER

IN NEXUS

71

Quibus causis alii vulgo impellan-
tur, qui Patronorum nominibus
libellos inscribunt, non est quod comme-
morem; quae autem me potissimum mo-
uerint, ut tirocinium hoc qualemque
meum ad Te mitterem, eas breuiter
commemorare non alienum esse duxi.
Tua erga me humanitas ac liberalitas
semper ea exstedit, ut omnia mihi cir-
cumspetanda esse existimarem, quibus
gratam animum aliquo modo saltem de-
clarare possem. Tu enim, Patronē
Optime, nonmodo me a teneris inde sa-
na religionis cognitione exornasti, ve-
rum etiam, ut in hancce Academiam,
praefantissimam elegantioris litteratu-
rae officinam, me conferrem, effecisti,
utererque disciplina Verandi Ernesti,
Viri longe celeberrimi, quem multis
laudare apud Te, illius studioſſimum,

A 3 super-



*Superuacuum puto; et quis, quaeſo,
ignorat ingenium Viri, et merita?*

*Circumſpiciens igitur, qua ratione
potiſſimum conſilio et voluntati Tuae
aliquo modo ſatis facerem, hunc libel-
lum latine interpretandum conſtitui.
Quam enim antea de praefantia huius
libelli opinionem habebam, ea Veneran-
di Erneſti auſtoritate egregie confirma-
ta eſt. Deinde nomen iſpum auſtoris
me ad hoc conſilium inuitauit. Sponius
enim noſter, qui cum iſigni artis medi-
cae peritia ſummuſtudium liberalium
artium coniunxit, auo utebatur Sueuo,
qui Ulmae natus, Lugduni deinceps
mercaturaे operam dedit.*

*Quare autem ego a vulgari ſeculi no-
ſtri conſuetudine reſeſſerim, ut hunc li-
bellum non in ſermonem patrium, ſed
latinum potius verterem, apud Te qui-
dem, quem tam elegantem huius linguae
iudicem noui, demonſtrare non opus eſt.*

Verum

Verum ne alii, ad quos fortasse hic libellus venturus est, temere a me receptam consuetudinem desertam esse opinentur, paucis consilii mei ratio declaranda est. Nam praeterquam quod haud inutilis exercitatio, uti mihi videatur, est, in eo scribere sermone, qui solidiorem doctrinam attingit, ut alia taceam; ipsum libelli argumentum vulgaribus lectoribus non egere videtur. Mulierculis enim nolui vertere, talia non curantibus, neque numulariis, aut de plebe hominibus, ad quos quidem numi, sed non numismata, pertinent, quibusque non insignitae numis imagines, sed pondus eorum, valorque curae cordique esse solet.

Quod si igitur in eo interpretando Tuæ elegantiae et doctrinae non plane satis fecero, quod, ne factum sit, vereor, animum velim, studiumque species. Id enim vel maxime spectavi, ut

A 4

Tibi

Tibi neque ingratus plane videar, neque indignus, quem benevolentia Tua porro complectare. Deus Ter Optimus Maximus, qui Te patriae carissimae decus, praesidium solatiumque longa inde ab annorum serie esse voluit, quam diutissime eundem Te in usum et commoda ecclesiae conseruet; annuatque consiliis Tuis prosperitatem. Vale, Patrone Optime, mihique faue.

Scrips. Lips. Idibus Iulii. A. CICIOCCCLXXI.

In

In rei numariae utilitate agnoscenda omnes
eruditi adeo consentiunt, ut haud temere
reperiatur, qui hoc studium vituperare ausit;
quum verendum sit, ne vel temerarius habeat-
tur, qui reprehendat, quae ab hominibus ele-
gantioribus vniuersis probentur, vel omnium
rerum ignarus, qui ignoret. Historici inpri-
mis et Geographi inde ab omni tempore huic
studio tantum pretium statuerunt, ut eorum
diligentissimi et veritatis studiosissimi, numis
et statuis ad illustrandam antiquitatem summo-
cum fructu vterentur. Dio quidem, in re-
rum Romanarum historia, Bruti mentione
facta, qui, Caesare interfecto in pristinam li-
bertatem restituisse patriam suam videri vole-
bat, numum attulit, iussu Bruti excusum, qui

A 5 pileum,



pileum, quod libertatis signum erat, et duos pugiones referret, quibus ipse Cassiusque usi, populum Romanum illo beneficio beassent. Eodemque modo Suetonius nullo se firniiori argumento putauit euincere posse, Augusto adolescenti cognomen Thurini fuisse, quam imaguncula eius aerea afferenda, cuius sibi copia facta erat, cuique inscriptum nomen *Thurini* legebatur.

Huic studio Romanorum principes valde dediti fuerunt. Varro quidem, clarissimo-ruin, qui ante vixerant, Romanorum im-
agines, ex antiquitatis monumentis conquisiuit. Cicero item, et Atticus, vt docuimus in dia-
triba nostra: De Hermis et Hermathinis: cu-
pide talia collegerunt. Julius Caesar, studio-
sissimus ille artium liberalium pariter ac rei
militaris, aequo disertus ille ac fortis, auctore
Suetonio studiosus fuit numorum, operis cae-
lati, signorum musiui operis, aliarumque an-
tiquitatis elegantiarum. Alexandrum Seue-
rum autem imperatorem, tanto antiquitatum
studio flagrasse scimus, vt quaecunque posset,
colli-

colligeret, imagines et signa summorum, quos gentilium supersticio in Deorum numerum retulerat, quique inter homines nominis celebritatem consecuti fuerant, virorum, adeo ut Apollonii Philosophi, IESV CHRISTI, Abrahami, et Orphei imaginibus locum in museo suo adsignaret. Sed ne diutius universae vtilitati rei numariae immorer, quae disci potest e libris, hac aetate doctorum viorum opera editis, nominatim doctissimi Spanhemii, nunc quidem quantum inde utilitatis redundet ad hominum mores naturasque ex corpore, oculis, vultu, fronte pernoscendi scientiam, de quo prorsus nihil admonuerunt illi, quantum quidem fieri potest diligentissime declarabo.

Hoc primum animaduertendum est, ingenii ex vultu agnoscendi artem haud aliorum melius quam regum et clarorum virorum imaginibus contemplandis, disci posse, tum quia haec vitae conditio, tamque eminens honoris gradus nihil habet impedimenti, quo minus indulgeatur ingenio, libereque natura prof-

proferatur, tum quia facta principum sunt
quasi in vniuersi terrarum orbis conspectu po-
sita, quorum vtrumque a priuatorum homi-
num fortuna alienum est, quippe quorum res
gestae vel conditioni magis, quam naturae
ipsorum accommodatae, vel propter agentium
obscuritatem obliuione sepultae sunt. Sic
naturae ad liberalitatem propensio, paupertate
extingui et opprimi potest. Animus fortis,
et ad arma natus, in homine sellulariam ar-
tem exercente ostendandi sui opportunitate de-
stitutus iacebit. Ingenium fortasse in alio
crudele et imperandi cupidum, qui conditio-
nis humilitate alieno imperio subiectus teget
et occultabit vitiosam indolem, quam, nactus
maiorem a fortuna libertatem, depromsisset.
Abdolominus si semper in hortis suis latuisset,
nec in regii fastigii lucem protractus esset,
quam singulari virtute vir fuerit, ignoraretur.
Nec Socrates, nisi naturae prauitatem, quam
ipse in se fuisse confitebatur, quaeque in vul-
tu eius et lineamentis expressa erat, philoso-
phiae praeceptis correxisset, sique in arte scul-
ptoria,

sculptoria, quam adolescens profitebatur, exercenda perseuerasset, sapientissimus graecorum iudicatus esset.

Iam vero in eo uno ore consentiamus necesse est, numis nil aptius esse ad exhibendas primiorum hominum imagines. Ipsi enim adhuc viuis manu praestantissimorum artificium expressae sunt, diligentiusque designant vultus cuiusque singulares illas notas, quas historici plerumque parum curant. Quin diligentius exhibent illas imagines, ipsis statuis et operibus antiquis caelatis, quae nomine ut plurimum non insignita, ne dignosci quidem possent, nisi numorum effigies ipsis responderent.

Equidem et hoc addiderim, iis ipsis si quis eum fructu uti gestiat, in Romanorum imperatorum vultu agnoscendo, ei praecipue attendendum esse ad latinos numos, eosque ab elegantissimis artificibus signatos in Italia, Romae in primis, ipsorum sede; nam qui in Gallia et Hispania cusi sunt, speciem minus decoram praebent Italicis. Atque his longe inferiores

riores sunt graeci, quoniam artifices graeci, cum iis, qui in imperatorum comitatu solebant versari, non comparandi sunt. Vtrumque genus numorum facile dignouerit homo harum rerum peritus. Nam praeterquam quod graeci, et qui in coloniis, prouinciarumque urbibus, cusi sunt numi, vel nomine quodam, vel signo hieroglyphico insigniti sunt, unde intelligatur, quo in loco facti sint, forma quoque ipsa, et specie externa fere differunt. Itaque aegyptii marginis quadam proprietate, syriaci grauitate, hispanici caelaturaem tentitate facile discerni possunt. Accedit, quod barbaris nequaquam aureos nummos imperatorum nomine insignire licuit, ita, ut omnes aurei sint Italici, ut et plerique argentei, et aerei, qui duobus literis S. C. sunt insignes, hoc est, *Senatus Consulto*.

Non quidem animus mihi est, regulas Phisiognomiae praestare, fallaces interdum, quas huius disciplinae peritis relinquo. Haec tantummodo communis regula stabilitenda videatur: naturam haud raro animi imaginem in facie

facie delineasse, vultusque propriam quandam conformatiōnem respondere ut plurimum temperamento hominis, eiusque indolem ostendere. Qui ergo ad leonis aut aquilae similitudinem accedunt, ii fortē et magnanimi deprehenduntur, qui ad simii aut vulpeculae, agiles et astuti, qui denique equo, aui, aut aliis cuidam animali similes sunt, ii ab eius ingēnio non magnopere abhorre videntur.

Deinde usus et experientia docet, qui naturalem quandam speciem, ridentis, lacrymantis, mūssitantis, meditabundi, aut irati prae se ferant, eos fere cupiditatibus ipsis deditos esse, quae suo cuiusque vultui impressae sint. Quām quidem viam ingressus est, cognoscendorum affectuum humanorum ille Campanella, auctore Chorerio, Viro Clarissimo, qui Boissatii vitam dedit. Cum igitur ille proprius adiisset, quos penitus cognoscere vellet, informabat sibi animo vultum eorum, gestus, et reliquam corporis conuentiam; indeque intelligebat, quo animi inclinarent, quaue cupiditate trahi viderentur, ut indicaret, quid versarent

illi



illi animis, velut omnes eorum recessus pene-
trauerit. Tanta praeterea rerum imagines
animo concipiendi vi et celeritate gaudebat,
vt coram tribunal iquisitionis, quod vocant,
causam dicere coactus, admirando sane ani-
mi robore, cogitationi alii ita indulgebat, vt,
sensu doloris fere omni ademto, nihil ab eo
quaestione exprimi posset. Ex hac regula
vniuersali facile intelligetur, qui sint vultuum
similitudine coniuncti, eos fere iisdem affe-
ctibus regi.

Ianus quidem Nicius Erythraeus obserua-
uit, Bernhardium Stephonium, poetam lon-
ge celeberrimum, iisdem quae in statua Virgi-
lli apparebant, oris lineamentis fuisse insi-
gnem. Itemque alii harum rerum studiosi
Numae Pompilii, et Antonini Pii vultum et
mores sibi invicem probe respondere depre-
henderunt; Hospitalium porro Cancellarium
illum, rerum civilium et philosophiae peritis-
simum, imagini Aristotelis, vt in antiquis
monumentis appetat, plane similem esse.
Quas igitur obseruationes super Physiognomia

ex

ex re numaria prolaturus sum, eae, quoniam regulis certis illa niti non videtur, magnae illi ipsi Physiognomiae erunt commendationi. De referentibus imagines illustrium apud antiquos virorum, et consulum Romanorum numis, certi nil statuerim. His enim quum non liceret, suam effigiem numis exprimendam curare, qui eorum numi reperiantur, eos ab ipsorum posteris esse profectos existimandum est: illi autem, quum propter virtutem magis, quam auctoritatem in honore fuissent apud homines, mortui demum, multisque seculis post in numis honorati sunt, adeoque vix imagines ipsorum verae repertae fuerint.

Initium facio ab *Alexandro Magno*, cuius caput obstipum, oculos eleganter structos, latissimeque patentes, ac sursum suspicientes, nemo viderit, quin una hominem ambitiosum, fortem, et temerarium iudicet, praesertim quum illa capitis nimia in tergum reclinatio, quam in numis eius videmus, (*Plutarchus ἀνάτασιν τραχήλου* vocat,) animi arrogantiam secundum regulas Physiognomiae indicet.

Ille mediocri et exigua potius, quam procerâ corporis forma fuit, qualem auerſa numerus non solum, verum etiam historici, qui res ab ipso gestas scripserunt, tradunt; unde illud:

Magnus Alexander corpore parvus erat.

Qui sunt parva statura, iis inest plerumque plus vigoris et vivacitatis, quam qui sunt procerâ, sanguinis impetus maior: quae omnia in Alexandro summa fuerunt. Primum huius rei edidit documentum, dum quem nemo posset domare bucephalum, eum domare valuit. Id quod haud dubie Macedones voluerunt significare in auerſa numeri parte, ubi Alexander equo illi incitato insidens efficitus est. Praetermitto successorum ipsius, regum Syriae imagines, quum Celeberrimus Valens nuper horum historiam ediderit, quorum vultus, nomine Antiochi pluribus communis, confusorum, ita distinxit, ut nemo antea.

Quem historiarum scriptores cum Alexander contulerunt, Pompeius, habet sane cum illo aliquid similitudinis, certe elevatione capitis, sed minus exstantes, reconditosque ocu-

los,



Ios, qui animum parum apertum notant, capillos praeterea super fronte dependentes et crisplos, ut Plutarchus tradit, numique exprimunt. Physiognomiae periti dicunt, esse hoc roboris et audaciae signum, ita iudicantes ex ursorum atque leonum similitudine, quibus terga villosa sunt, et capita crispa. Quem quidem numum, licet graecum, latinis praetuli, quoniam hi a demortui liberis cusi sunt. His igitur neglegitis exhibeo numum eiusmodi, qui viuo illo, a ciuitate subiugata, nomineque eiusdem donata, (Pompeiopolis, quem antea conditoris Mithridatis Eupatoris nomen habuisse *Eupatoria*) cufus est. Dio narrat, hanc urbem, quemadmodum multae aliae, quas cepit, quaeque liberalitatem ac clementiam Pompeii expertae fuerat, imperio eius libenter paruisse. Idem auctor immensum ei ambitionis studium, et inuidiam, leuitate commixtam obiurgat, ut adeo Caesari honores, quos ipsi comparauerat, inuideret.

Iulus Caesar vtebatur vultu, animi ipsius indoli et sensibus prorsus respondentे. Huius



enim quum imaginem, ad numum quendam,
et auctoritatem Suetonii expressam, Andreea
Italo, Argolii illius discipulo misisse, ille
mihi rescripsit his verbis: Proceritas corpo-
ris, oris pallor, oculorum ardor, indicare vi-
detur, Iulium Caesarem iracundiores, nec ta-
men sine phlegmate quodam fuisse. Nasus,
vbi frons eum excipit, paulo eminentior, na-
res sursum paululum reclinatae, et extrema
pars nasi adunca, quae non valde abhorret ab
aquilino, notant utique animum imperterri-
tum, gloriae et dominationis studiosum. Ocu-
li vigentes et nigri, frons paullo depresso in
medio, nasusque aquilinus significant magna
moliendi studium, et miram in consiliis exe-
quendis constantiam. Capitis fabrica admir-
abilis, occipitii aequa ac sincipitii, quorum
alterum alteri bene respondebat, colli longitu-
do adhaerentis medio capiti, oculorum vis,
frontis tenuitas, et in medio leuis depresso,
literarum studiis et eloquentiae aptum demon-
strarunt. Quod paulo plenius ipsi attribuit os
Suetonius, id, praeterquam quod aetas, et con-
tinui

tinui labores belli potuerunt conficere, fortasse
 sic etiam explicari possit, vt os habuisse nec
 longius, nec rotundius, nec grandius, nec te-
 nuius, aut si manus, exile potius, quam ob-
 esum, dicatur. Quibus omnibus hoc adiun-
 xerim, caluitiem ipsius nimium Veneri indul-
 gentem indicare, unde non effugere potuit,
 quin milites in eum, ex oriente reducem, io-
 culariter canerent: *Romani — — caluum*
moechum adducimus! Quod vt vitium celaret,
 a Senatu veniam impetravit, laureae perpetuo
 gestandae, id quod ex numis patet. Clemen-
 tiae tantopere celebratae equidem nihil vesti-
 gii in ore deprehendo, et verum esse videtur,
 quod Curio affirmat; hanc virtutem non a
 natura eum accepisse, sed potius, ad Romano-
 rum gratiam sibi conciliandam, iudicio sibi
 eam adsciuisse.

In atuersa numi parte amicus apparet Caesa-
 ris, *Marcus Antonius*, facie oblonga et ple-
 na, mentoque duplicato, quod quidem homi-
 nem voluptarium et gulæ studiosum notat;
 nihilominus vero gaudebat naso aquilino, for-



tis animi signo, sed amor, quo Aegypti regi, nam, formosam Cleopatram, deperierat, gloriae stimulis repressis, mortem ei attulit.

Iuba, Mauritaniae rex, appareat facie, inferius admodum eminentia, arrogantiaeque et crudelitatis pleno, qualem eum historici referrunt; capillis crispis, et per cineinos, gradatimque ordinatis. Hic enim regum ibi terrarum mos fuit, ut capillis, artificiose crispati, puluerem aureum inspergerent; ne vero inepte arcessitus hic ornatus periret appropinquatum culpa, enixe cauebat,

Augustus, qui praeditus erat decora corporis forma, oris elegantia, vultus modestia, nasi ad frontem eleuatione, et capillorum leui incuruatione, animo etiam eximio vtebatur, hoc est, humanitatis, prudentiae, et fortitudinis, ab ostentatione alienae, plenissimo. Supericia super nasum coeuntes, non nullis Physiognomiae peritis virtutis, et sincerae amicitiae studium notare videntur, id quod optime in Augustum conuenit. Ex aliorum vero sententia significant literarum amorem,

propterea,

propterea, quod eiusmodi supercilia melan-
choliam quandam significant, quam literarum
studia nonnihil requirunt. Et profecto in
hoc principe erat disciplinarum amor, et ora-
tioni ipsius, siue solitae, siue ligatae, multum
elegantiae inerat, unde factum est, ut maxi-
ma illo tempore doctissimorum hominum es-
set copia. Praematuram ipsis, quod a Suetonio
relatum legimus, mortem praesagire cre-
diti sunt dentes minuti, et parum cohaerentes;
auctoribus Hippocrate, et aliis physices scien-
tia viris claris, quum dicunt, per eiusmodi den-
tes, quod cibo satis comminuendo sint impares,
concoctionem minus recte fieri posse; sed ei-
vitio mederi potuit temperantia, propterea
quod ad sextum et septuagesimum aetatis an-
num peruenit, quanquam saepe laborabat gra-
uinedine, pedum, lumborumque doloribus, et
vesicae calculo. Quod Suetonius narrat, eum
sub natalem suum plerumque aegrotasse, id
haud facile explicari potest.

Amicorum Augusti intimus, classisque pre-
fectus, *Agrrippa*, vultum habet inferius extan-

tem, oculos paululum latentes, frontemque nonnihil rugosam; quae quidem virum sternuum, imperioque rei maritimae aptum efficiunt. Ac nonne videmus, hominem iratum aut aerumnosum proiecere mentum, oculos claudere, frontemque protrahere? Praeterea in illius effigie animaduertere licet vultum musculosum, collumque torosum, carnosumque, quod quidem, Aristotele iudice, roboris est indicium; ac sane boum capita et collatoris admodum multis sunt instruxta.

Corpore ampio et robusto fuit *Tiberius*, humerisque latis, quod signum fere roboris est et imperterriti animi; praegrandibus item oculis, qui naturam haud malam indicant, dummodo reliquarum corporis partium iusta fuerit ratio. Deabus saepissime cognomen Homerus *Bοῶνις*, (hoc est, bouis oculis formosa,) tribuit, qui quidem olim laudi fuerunt, nunc fuerint crimini. Suetonius narrat, Tiberii oculis plane singularem vim fuisse, siquidem noctu, somno excitatus, aequa clare in tenebris viderit, ac media luce. Id quod mul-

tum

tum vigoris, et subtilitatem spirituum indica-
bat, unde literis, belloque idoneus exstilit.
Idem scriptor tradit, eum praeterea adducto
fere vultu fuisse, incessisseque rigida et obsti-
pa ceruice, et plerumque tam cogitabundum
taciturnumque fuisse, ut cum aliis nullum, aut
rarissimum sermonem haberet. Quae omnia
hominem indicare videntur, ab societate alien-
num, solitudinisque studiosum, noctuarum in-
flar, ceterarumque nocturnarum avium, qua-
rum oculos ipse referebat. Quare ipsius mor-
ibus ac vultu animaduersis, arrogantiae ple-
num existimauit Augustus, quanquam eum ex-
cusare tentabat, quum diceret: naturae potius,
quam animi vitia esse. Erat insuper
mento exiguo, paululumque proiecto, crude-
lem designante, quippe minabundi atque vi-
tionis cupidi labia premunt, mentumque ele-
uant. Illuc eum inclinasse, multa crudeliter
facta declarant; nam ex nonnullis actionibus
alicuius hominis, de animo eius iudicare non
licet, sed ex crebro repetitis. Cuius quidem
rei luculentissimum suppeditauit exemplum



Tiberii amicus, Seianus; hic enim vitam illi principi seruauit, sustinendo suo corpore fornicem, qui illum obruisset, unde factum est, ut amicitiae eius, constantiaeque plane fideret Tiberius. Verum magis dolo, quam amicitiae virtutique hoc tribuendum erat. Nam et si imperatoris mortem optabat, contra quem iam tum coniurationem moliebatur, suae caussae tamen maxime repugnare opinabatur, si imperator praematura morte ereptus esset, propterea, quod Germanicum, quem propter gratiam populi Romani successorem legitimum fore credebat, antea e medio tollere studebat, vt adeo ipse regnum sibi arrogare posset.

Caligula, naturae illud monstrum, mento vtebatur et ipse prominente, crudelitatis signo, vultumque, Tacito auctore, callide compostum praetendebat nefariis consiliis. Suetonius narrat, ipsum nonnumquam simulasse vultum terribilem, vt ipsum aggredientibus metum iniiceret. Id quod nonnihil stultitiae indicat, quam alias colli exiguitate, frontis latitudine, partiumque corporis inconuenientia, pedum-
que

que gracilitate animaduertere licet. In capitulis ceruice caluitates erat, insigne luxuriae. Ita quidem sentit Aristoteles; sed de iuuenibus caluis praecipue hoc intelligendum est, ut physice illud malum explicari possit.

Si animus esset, Claudi imperatoris corpus animumque depingere, quemadmodum eius imago a Seneca expressa est, in Ἀποκολοκυτώσει, ut Neroni gratificaretur, in eam quicquid vitii fingi exogitarique potest, conferrem; verum eum non adeo deformi corpore fuisse, confirmat Suetonius; quanquam pedibus infirmis, capiteque tremulo fuerit. Haec vitia a veneno, quod ei puero datum erat, orta sunt, quippe cuius vis eum ita hebetem, obliuiosum, timidumque reddiderat, ut a libertis se duci pateretur, libidinibusque indulgeret. Ceruix opima, et labia saliuia semper spumantia, (quae nonnulli in numis pariter atque apud historicos deprehendisse putarunt, cum aliis corporis vitiis,) imbecillitatem ingenii notabant. Mores enim et animus fere naturae conditionique corporis respondent. Quamquam illa vitia corrigere voluisse

voluisse videtur, tractandis literis graecis, historia, atque arte grammatica; siquidem ante susceptum imperium de trium literarum, alphabeto latino adiiciendarum, necessitate libellum scripsit. Quae ut reciperentur, facile, postquam imperator factus erat, effecit; verum quum non nisi in inscriptionibus suae aetatis reperiantur, vna cum eo perierunt.

Neronis indolem animi diligenter natura in ipsius facie delineavit; habebat enim oculos minutos, pinguedinis vitio vix patentes, guttur et mentum inuicem coniunctum, cervicem adipe repletam, ventrem projectum, et crura gracilia. Quae vniuersa cum admodum similem porco efficiebant, quem nefariis flagitiis, sceleribusque imitabatur. Praeterea mentum leuiter eleuatum, quod, ut supra demonstravi, crudelitatem hominis significat. Sufflauo capillo, cruribus exilibus, auctore Suetonio, et vultu venusto magis, quam graui, mollities animi demonstrabatur. Igitur quam ab initio imperii haud mediocrem modestiam, clementiamque ostendit, adeo, ut quum de supplicio cuiusdam, subscriptione sua confirmingando,

mando, admoneretur, optaret, ut scribendi artem ignoraret; ea nonnisi clementiae ostentatio erat, dissimulationi et reverentiae aduersus praeceptores suos attribuenda. Seneca in satira contra Claudium, adulacione quadam, philosopho illo indigna, quum Neronem Apollini et pulchritudine et oris dignitate similem putaret, ita hunc loquentem inducit:

Ille mihi similis vultu, similisque decore

Nec cantu, nec voce minor. etc.

Talis Caesar adeſt, talem iam Roma Ne-
ronem

Adspicit, flagrat nitidus fulgore remiſſo.

Vultus, et effuso ceruix formosa capillo.

Vnde procul dubio in numis saepissime Nero sub Apollinis figura conspicuus est. Projecto ipse non erat deformis, quamquam non pro pulcherrimo haberi poterat; quoniam ipsi erant oculi minus minutti, ceruix admodum obesa, et crura admodum tenuia, quae magnitudini staturalae minus respondebant. Illud etiam negari non potest, quo tempore

Seneca



Seneca scribebat, eo fuisse illi maiorem corporis partium conuenientiam, quam possea. Ibi tum enim adolescens adhuc erat, minusque corpore obeso, ut ex numis appareat eo tempore cisis, quo non nisi Caesar erat.

Gulba habebat faciem musculosam, frontemque rugosam, unde hominis apparuit robur et severitas; caput caluum, adeoque luxuriosus erat, id quod ipse Suetonius obseruavit. Genus vitae luxuriosum libidinosumque, eius manus pedesque articulari morbo distorserat, ut neque librum tenere, neque calceum perpeti posset. Sed maxime in eius Physiognomia conspicuus est nasus admodum aquilinus, qui eum aquilae, avium regi, similem efficiebat. Quare Augustus, puero explorato, praefagiuit, eum aliquando summi imperii potiturum esse, seu potius degustaturum, propterea, quod iudicabat, eum nonnisi in senectute ad illud peruenturum esse. Huius praedictionis veritatem paucorum mensium imperium eius probauit. Fortium quidem virorum, eiusmodi naso insignium plura exempla in libriss

de

de Physiognomia protulit Porta, vt Cyri, Ar-taxerxis, Demetrii, a naso adunco cognomi-nati Grypi, Scanderbegi, Sforzae illius Ma-gni, Mahometi secundi, Turcarum impera-toris, Usumcassani, Ismaelis Sophi, Persarum regis, Selimi, et Solimanni, quibus plura ad-di possent exempla, veluti Constantini, Caro-lomanni, Francisciique primi. E fronte cete-roquin excelsa, naso illi, corporisque proce-ritati adiuncta, Galbae eluxit liberalitas. Quae quamquam tributorum a Galliae, Hispaniae-que ciuitatibus exactorum acerbitate, belli sumtibus suppeditandis necessariorum, ante-quam ad imperium accesserat, obscurata vide-batur; hanc tamen infamiam, posteaquam ad rem publicam accessit, liberalitate et benefi-ciis, ab eo in ciues profectis, deleuit.

Neroni vultu quodammodo respondet
Otho, unde acclamatio illa populi: *Othoni*
Neroni! Sed in eo tamen ab illo differebat,
quod minori corporis mole premebatur;
quamquam mores munditiemque feminarum
referebat; barbam singulis diebus tondebat,



et propter nimiam capillorum raritatem gale-
riculo ytebatur, quod clare in aureis et argen-
teis numis videre licet, eiusque ille usum Ita-
liae intulit. Aenei quidem ipsius numi
omnes, in Syria vel Aegypto cusi, illum sine
eiusmodi capitinis ornamento repraesentant,
quoniam haud dubie usus illius in istis terris
ignotus fuit. Nec iidem verum eius vultum
exhibit, quem in italicis expressum videmus.
Animorum similitudo, quae inter ipsum,
Neronemque intercedebat, arctissimo amici-
tiae vinculo ita utrumque coniunxit, ut omnia
ipsis essent communia, ipsae, quod mireris,
coniuges; etenim ne hoc quidem ullam eo-
rum discordiam excitauit. Nihilosecius, im-
perator factus, populi quo gratiam conseque-
retur, sibi fortasse vi facta, animi probitatem
prae se tulit; fortitudinem, contra imperii
aemulum, Vitellium, quem ter acie vicit,
ostendit. Sed ad extremum conditionibus
pacis deceptus, et vinctus, eo redactus est, ut
impetum moriendi caperet, magis, si fides ha-
benda est Suetonio, pudore, ne tanto rerum,

hominum-

hominumque periculo dominationem obtine-
ret, quam desperatione villa, aut diffidentia-
copiarum. Quod quo magis fortis animi
apud Romanos putabatur, eo minus sibi po-
tuit temperare Suetonius, quin miraretur, qui
fieri potuerit, ut, quum habitu muliebri esset,
corpore vulso, nitidoque, modica statura, et
male pedatus, adeoque effeminata forma,
tanto animo, quem moriens prodiderit, illud
corpus non responderet.

Voluptatum, corporisque faciundi studium
apparet fere, ut in Nerone, ita in *Vitellio*;
bubonis vultum in eō fuisse, Ioannes Baptista
Porta in libris de Physiognomia obseruauit;
ceruix obesa et breuis, rubicunda facies, ven-
ter adipe repletus, vti Suetonius imaginem
hominis pinxit, apoplexiam denunciare vide-
bantur; nisi violenta mors, non minus disfo-
lutum vitae genus, cum ipsa vita finiisset.
Famosissima ex ceteris epulis, quibus acceptus
est, fuit coena, ei data a Lucio fratre, in qua
duo millia piscium, et septem avium com-
memorantur. In alia ipsius coena minor pro-

C fusio



fusio fuit, sed plus exquisiti: in qua apposita sunt iecinora Scarorum, quod genus est pis-
cium rarissimorum, phasianorum et pau-
num cerebella, linguae Phoenicópterum,
auium generis leclissimi, muraenarum lāctes,
a mari Carpathio, Hispaniae freto, remotis-
que aliis terris arcessita. Denique ipsius do-
minatio continua quasi luxuria fuit, eaque
principes aulae suae enecauit. Itaque Vibius
Crispus, cui contigerat, vt morbo implicitus,
effugeret mortis illam maturandae necessita-
tem, dixisse fertur, sibi sine hoc morbo haud
dubie pereundum fuisse.

Corpo quadrato, firmo et musculoſo, ro-
boris et prosperrimae ac perpetuae valetudinis
ſigno, gaudebat *Vespasianus*. Oris linea-
mentis effigiem huius principis in numis bene
respondere, Suetonius animaduertit. Triflīs
enim, et quasi nitentis vultum refert. Atque
fuit profecto princeps fortis, bonus, et hilari
animo praeditus, non niſi ob auaritiam cul-
pandus, quippe auctor exactionum acerbiflī-
marum, quibus ciues suos premebat. Et ta-

men

men haec ipsa a nonnullis sunt laudata, quippe necessaria aerario, quod imperator factus, aere alieno oppressum reperisset. Idem ille in Senatorum inopes, eruditos homines, urbesque deletas, prolixa munificentia erat. Dicacitatem ad vitae finem usque retinuit; qui animam adeo agens, Romanorum mori recens mortuos imperatores in Deorum numerum referendi illusit, his verbis usus ad circumstan-
tes: *Sentio me Deum paulo post fore.*

Vespasiano simillimus oris fere augusta dignitate fuit filius *Titus*; tam decoro et honesto corporis habitu erat, ut haud dubie eam ob caussam Physiognomon, imperitante Claudio, per Narcissum arcessitus, ad Britannici pueri fortunam praedicandam, confirmaret, non Britannicum summum adepturum esse olim imperium, sed Titum, qui tum propter familiaritatem apud illum erat. Ceruix car-
nosa, humeri lati, virilis facies, caput rotundum, et paululum in superiori parte depre-
sum, frons denique quadrata, quibus fortitu-
do, constantia, et prudentia indicatur, earum-

C a

que

= = = = =


que virtutum haud pauca edidit documenta.
 In eo a ceteris Romanorum principibus plane
 differebat, quod illi regnum adepti, multo
 peiores, quam antea exsisterunt, sed Titus
 melior factus, morum integritate ex animis
 hominum extirpauit prauas de se conceptas
 opiniones, adeo ut propter summam erga
 omnes humanitatem, liberalitatem, et beni-
 gnitatem, amor et deliciae generis humani
 cognominaretur; hinc monitus a domesticis,
 ne plura polliceretur, quam posset praestare,
non quemquam, belle respondit, *oportere a*
sermone principis tristem discedere.

Domitiani fratri, (qui sub finem imperii
 crudelissimus exsilit, quum tamen ab initio
 clementissimus fuisset,) externa species ambi-
 guae significationis reperiebatur; neque enim
 illi pulchritudo, et iusta corporis proceritas
 deerat. Rubor quidam faciei modestiam, pu-
 doremque notabat, ut in erubescientibus anim-
 aduertere licet. Caluitum, quod ei in prima
 aetate accidit, intemperantiae, luxuria eque
 tribuendum est, quod cum in numis non ap-
 pareat,

pareat, eos ipsos forte quis eo in genere pa-
rum fide dignos existimauerit. Sed vera eius
rei ratio haec est: Caluo scilicet capite ita of-
fendebatur, vt in contumeliam suam dictum
putaret, si, se praesente, aliquis de ea re irride-
retur. Vnde vt cauerent sibi ab hominis su-
spicione atque iracundia, hoc, quicquid fuit
vitii, occultarunt numorum artifices.

In numis ore sicco et rugoso, oculis abstrusis, mentoque acuto, appareret *Nerua*. Profecta demum aetate imperator factus est, ventriculi infirmitate continua vexatus, adeoque cruditate confectus, id quod vultum mutauit, animique mores occultauit. Quamquam naso grandiori, et aquilino praeditus erat, id tamen magis singularis benignitatis signum fuit, quam fortitudinis; propterea quod in *Nerua* summa bonitas coniuncta erat cum insigni timiditate. Atque etiam facies eius, quae erat admodum longa, cum naso longo similiore erat verueci, animali placido, quam aquilae, cui feroci. Veruntamen ad iram eum propensum fuisse, lineamenta, corporisque totius

C 3 habitus,



habitus, in primis facies macra atque exilis, caput in acutum definens, statura procera, nasus hamatus, supercilia fornicata, mentumque siccum et acutum notant. Atque profecto ex iracundia, qua in Regulum quendam animo exarserat, periit.

Hispanus gente, *Traianus*, primus e perigrinis Romanorum imperator, capite, mallei instar, in superiore parte depresso, occipite aequo ac sincipite haud parum proiecto, fronte lata, et collo obeso fuit. Vnde citius colligas hominis prudentiam, vigorem, et in consiliis perficiundis constantiam, quam ingenii alacritatem, et excellentiam. Atque rebus profecto praecclare ab ipso gestis Romanorum imperii fines vterius, quam ullus eorum, qui ipsum praecesserant, protulit; hinc in auersa numi parte verba illa: ARMENIA ET MESOPOTAMIA IN POPVLI ROMANI POTESTATE REDACTAE. Capite ampio, collo breui, corpore mediocri, atque paululum carnosio quum praeditus esset; apoplexiae obnoxius esse videbatur, a qua etiam infestatus est, sed

mox



mox paralysis eam exceptit, in nonnullis corporis partibus; sed tamen aqua intercute periit anno aetatis sexagesimo quarto, regni vigesimo, cognomine OPTIMI iure appellatus.

Hadrianus corpore procero et venusto, statura liberali, capite mediocri, paululum acuto, et capillis crispis venerandus erat, vnde ingenium disciplinis, artibusque liberalibus, quarum flagrabat amore, aptum fuisse intelligitur. Operam in primis dedit poesi, histrioiae, mathesi, scenae, venationi, peregrinationibus, et amoribus; memoria potissimum valuit, quippe occiput magis eminebat, quam sinciput. Aurelius Victor narrat, eum omnium, per quae iter fecerit, locorum memoriam retinuisse, rerum item, quae ad ipsum fuerint relatae, nec ipsa singulorum militum nomina eundem fugisse: id quod plane admirandum esse videtur, quum vidisset ille tot regiones, tot negotia tractasset, totque milites sub signis haberet. Natura tam firma et robusta fuit, vt capite nunquam tecto esset, pedibusque omnes imperii prouincias obiret.

C 4

Haud



Haud improbabile est, Sabinam vxorem, itinerum comitem fuisse, propterea quod utriusque imago in numo, post redditum ab Alexandria, cuso, impressa est. Inepte fere religiosus, Romam Serapidis et Isidis cultum, qui apud Aegyptios religiosissimus erat, induxit, quibus haud dubie voverat, se tempa dedicaturum esse, si Romam redierit, quod votum ab eo solutum esse peculiaris numi auersa pars indicat. Itaque vicissim manu protensa ipsi tutelam promittit Serapis, Isisque per sistrum, quod tenet, iurat, se eius desideriis satisfacturam. Praeterea gloriae tam cupidum eum fuisse Dio tradit, ut quos aliqua scientia aut arte, in qua ipse inferior esse nolebat, excelle videret, eos interficeret; quare Phavorinus doctissimus, quem aliquando disputaret cum eo de vi alicuius verbi, satius duxit manus ei dare vietas, quam acrius homini repugnare, cuius nutui et imperio parerent legiones triginta. Rerum cognoscendarum tantum in eo fuit studium, ut quicquid non ex locis remotissimis legendu cognouisset, id
ipse

ipse videre cuperet. Quae quidem sciendi cupiditas, et laborum preferendorum patientia magis cadit in homines, qui habent faciem macram, quam in Hadriano comprehendimus, quam qui corporis mole pinguedineque premuntur. Barbatum quidem ipsum primum ex Romanorum imperatoribus suis, numi certe nos docerent, si vel maxime historiarum scriptores tacuissent. Quod hic necessitate quadam ductus, fecit, ad verrucas, quibus mentum exasperatum erat, hominum oculis subducendas; id quod successores eius tanquam ornatum seruarunt; similis ratio est nostrorum galericulorum, (Perruques) qui ad capillorum inopiam occultandam et reparandam sunt excogitati. Sanguinis per nares fluxum, salubrem ipsi, debuit naturae, sanguinis bilisque plenae, et fortasse etiam itinerum laboribus, solisque radiis; sed ad extremum tanta sanguinis profusio accidit, ut consumtis viribus in hydropem incideret, qui morbus e doctrina hippocratica nimiis sanguinis profusionibus fere superuenire solet.

C 5

Cuius



Cuius mali acerbitate doloribusque affectus,
quamquam saepius audie mortem optasset,
diu tamen hoc morbo laborauit.

Antoninus ob morum integritatem, benignitatisque laudem cognominatus est *Pius*, seu beneficus. Quo respicit auersa pars praestantissimi huius numi, exhibentis Aeneam Troia deportantem humeris Anchisem parentem: id quod symbolum pietatis est apud veteres, et amoris erga parentes. Porca cum porcellis illam notat, quam Aeneas cum triginta pullis suis ibi immolauit, vbi Lauinium condidit, cuius porta et muri in eodem numo exhibentur. Antonino facies longa erat, quod bonitatis amicitiaeque signum esse Physiognomones statuunt; cui si addideris vultum lenitatis, modestiae, grauitatisque plenum, et rationem, qua bene inter se conteniunt reliquae faciei et corporis partes, cuius statura erat praecclara, principem utique bonum, clementem, honestum, liberalem, temperantem, et eloquentem, dignissimumque, qui summam imperii teneret, aestimaueris. Hic imperator

perator cum Numa comparari solebat. Et erant profecto illi magna similitudine coniuncti, per faciei lineamenta, ut facile ex ipsorum numis animaduertere licet. Obiit septuagesimo aetatis anno, aequa desideratus, ac si valde iuuenis eruptus esset. Visus est velut somnum capiens animam efflasse; quam quidein placidam mortem haud dubie placidae vitae praemium voluit esse prouidentia diuina.

Ab Antonino adoptatus *Marcus Aurelius*, vultu graui et modesto, qualem Philosophi affectabant, quos vt in ceteris rebus, ita etiam prolixa barba imitatus est, et hinc, vt literarum vitaeque generi, cui deditus erat, honos haberetur, cognominatus est Philosophus. Hoc cognomen quum in numis titulisque non inueniatur, probabile fit, vt ita a ceteris Antoninis distingueretur, esse additum ab historicis, apud quos vel Marcus Antoninus, vel nonnunquam simpliciter Antoninus vocatur. Athenagorae ad hunc principem missi, vt religionis christianaee susciperet



fusciperet defensionem, oratio, hunc indicem habet:

Imperatoribus Marco Aurelio Antonino, et Lucio Aurelio Commodo, Armeniacis, et Sarmaticis, et quod maius est, Philosophis. Atque initium vitae Marci Aurelii, a Capitolino scriptae, hoc est: *Marco Antonino, in omni vita philosophanti viro.* Atque etiam ipse saepius iactabat illam Platonis sententiam: *Quodsi vel philosophi imperent, vel imperantes philosophentur, tum demum bene agi de ciuitatibus.* Ceterum clementia, sapientia, prudentia, temperantia, liberalitas, et plures aliae virtutes in eo fuerunt; ob nimiam autem discendi lucubrandique assiduitatem, infirma vſus est valetudine.

Fauſtina minor, Marci Aurelii coniux, mariti indulgentia abusa, libidini maxime indulſit, cuius licentiae haud obscura signa vultu ſunt impressa; erat illa feliua, oculorum petulantia, vultus quadam temeritate, capitis maiore, quam pedum celeritate,
specie

specie similis aui, potissimum ex canentium genere, quae delectantur tantum volando, canendo, ludendo; nam minuto capite, oculis exiguis, facie parua, eaque projecta, et collo longo, admodum similis erat linariae, aut alii aui eiusmodi.

Verus, quamquam ingenio ad literas contendas non praeditus erat, quum tamen focius Marci Aurelii in republica administranda esset, sibi cum eo studium philosophiae commune esse voluit. Nimium deditus erat vino, aleae, atque Veneri. In eius vultu hoc in primis notare attinebat, quod, qui apud veteres libidinosissimi fuisse feruntur, Satyri, ad eorum imaginem proxime accessit. Nemo autem ignorat, in arte pingendi sculpendique mirificos exstisisse veteres, qui non tantum corpora, sed etiam animas exprimerent, id est, motus animi per vultum explicarent. Quia propter Satyros pingebant fronte prominente, naso acuto, oculis paruis iisque exstantibus, labiorum parte superiori prominente, quae omnia



omnia in Veri vultu similiter deprehenduntur. Os bustulis rubicundisque maculis exasperatum, quod ei auctores tribuunt, facile hominem vinolentum prodit. Vino enim tantopere deditus fuit, vt, e Syria redux, domi sua*e* *cauponam principis*, quae dicebatur, constitueret. Hinc quamquam non fuit corpore obeso, ceruiceque breui, mirum tamen non est, quod apoplexia correptus, anno aetatis quadragesimo altero periiit.

Commodus turpior animo quam corpore fuit; nam et si ei quaedam oris signa cum Marco Aurelio communia erant, tamen amorum suayitate, clementia, temperantia que sapientis Marci Aurelii, crudelitas illius et dissolutum vitae genus ita abhorruit, vt non ab hoc patre legitimo, sed gladiatore, quam mater deperierat, conceptus esse putaretur. Idemque operam dabat, vt arte gladiatoria, aurigando, et artificio scenico multum polleret. Traditum est a scriptoribus, hunc fuisse vultu toruo, fulgenti-

gentibusque oculis, sermoneque male composito, ebriorum instar, quorum actiones imitaretur. Naturae prauitatem cognitam, corrigere magistrorum aliquot diligentia conatus est Marcus Aurelius; sed natura plus valuit educatione. Imitatus enim est Faustinae matris mores dissolutos, et patre mortuo a se remouit omnes viros probos, quorum praesentia et cura impediebat, quo minus licentiae viuendi indulgere posset. Eo vanitatis etiam progressus est, ut Iouis iunioris, Herculisque Romani nominibus appellari se iuberet, et plane nouo, ridiculoque exemplo saepe leonis pelle se vestiret, et clauam, velut Hercules, manu teneret. Denique Incommodus factus toti generi humano Commodus, a domesticis, qui eius insolentiam non amplius ferre possent, suffocatus est, plaudentibus Senatu et populo, quod monstrum hocce, idemque vniuersi generis humani hostis sublatus esset.

Pertinax.



Pertinax vultu erat, quo ne voto quidem fingi excogitarique laetior, feliciorque posset, capite formoso, lata fronte, capillis reductis, barba promissa, eaque venerabili, ore principe dignissimo, statura procera, vultu satis pleno, et ventre paululum obeso, ut ex numis, eiusque descriptione apud Capitolinum animaduertere licet. Quae omnia, quamquam ostendebant valetudinis firmitatem, ingenique magnitudinem, et gratiam, auctoritatemque apud populum, quam ei dignitas oris, corporisque forma conciliare videbatur; occasio tamen animalium prodendi erepta est, ob breuitatem imperii, ad quod deum in summa senectute peruenit, quae ipsa ei causa contemtus exstigit apud milites. Ceterum seditione, qua periit, exorta, satis fortitudinis ostendit; nam militibus in palatum irruentibus obuiam factus est, et imperterritu animo fortiter et grauiter eos allocutus est, ut omnes coerceret, praeter unum, qui iterum aduersus illum concitauit milites, eoque hasta petito,

petito, socios miseros perduxit, vt se tam
bono principe priuarent.

Albinus romano nobili genere oriundus,
in Africa natus, vultuque licet Afer, cutis ta-
men albedinem Europaeam referebat. Cete-
rum barbam quoque crispam a solo natali ac-
cepit, iusta vero corporis proceritate, et cras-
sitie praeditus fuit. Idem ad tristitiam pro-
pensus, labiorum magnitudine insignis, atque
adeo voracissimus fuisse fertur. Cordus qui-
dam, scriptor antiquus, narravit de eius
voracitate, quae omnem fidem superant,
istum mane singulis diebus quingentos fi-
cos, centum mala persica, decem pepones,
viginti vuarum passarum libras, centum fice-
dulas, et quadringentas oſtreas deuorasse.
Quae cum recentior quidam auctor conco-
quere non posset, inter veterum historico-
rum nugas fabulasque retulit, propterea,
quod tot res eius ventriculus, si vel qua-
tuor gigantium ventriculos aequasset, capere
et concoquere non potuisse videretur.

D

Seuerus



Seuerus Afer fuit, cuius et vultus et fa-
cta a nomine non abhorrent; eius enim
morositatem et seueritatem frons et mentum
proiectum satis indicat; in aemulos impe-
rii, nobiles, et quicunque hostium caussam
adiuuerant, crudelissime faeuit. Byzan-
tium, quae celeberrima ciuitas partes secu-
ta erat Pescennii Nigri, male vexauit, He-
raclensisque potestati subiecit. Atque
etiam aduersus Lugdunenses ita crudelis et
inhumanus exstitit, vt eorum urbem pro-
pterea igni feroque deleret, quod caussae
studuerant Albini. Ceterum laudatur eius
continentia, frugalitas, et modestia in cultu
corporis, quas quidem virtutes cum ceteris
Afris habuit communes. Animo praeterea
forti et strenuo, laborumque summorum pa-
tiente praeditus fuit, quas virtutes reipublicae
status, qui tum erat, requirere videbatur.
Hinc factum est, vt Senatus, principis virtu-
tibus vitiisque cognitis, iudicaret, e republica
fuisse, si vel natus ille numquam esset, vel
numquam mortuus. Iuliam vxorem, quae
pulchra

pulchra et humana fuisse traditur, vna cum
marito exhibit ille praestantissimus Seleucidarum
numus, quem supra explicauimus. Hic
enim, quamquam graecus nihil tamen dignitate
cedit vlli latino.

In *Caracallae* vultu mihi quid displiceat,
ipse, mehercule, nescio, nec magis iudicij
huius rationem deprehendere possum. Atque
profecto offendimus saepe numero, quo-
rum vultus nobis displicent, etiamsi ignoramus,
quid illis insit, quod animum nostrum
ab iis alienet; ita ut nomine mutato iuvet idem
dicere ad illos, quod poeta ad Lesbiam, quam
minime amaret, dixit:

Lesbia, non amo te, nec possum dicere,
quare.

Hoc solum possum dicere, non amo te.

Veruntamen, ni fallor, rei caussa haec esse
videatur, quod meditabundus homo, dissimu-
lans, atque malignus indicatur, per rugosum
illud inter supercilia spatium, per oculos re-
conditos, et nares sursum paululum reiectas,
quae omnia in illo *Caracallae* numo animad-

D 2 uertuntur.

= = = = =

ueruntur. Item summae crudelitatis multa edidit documenta, adeo, ut patrem ipsum gladio peteret, coniugem autem, et fratrem Getam trucidaret. Vino praeterea, et mulieribus addictus, superbus, insolens fuit, et ita militibus, domesticisque ipsis iniuisus, ut ad extremum a Martiale, centurione, quadragesimo tertio vitae, imperii sexto anno occideretur. Nefandis huius modi sceleribus obstrictum hominem Deorum in numerum, id quod ex nominibus *Divini* et *Consecrationis*, nummo impressis, elucet, esse relatum mireris; nisi vero Macrinum, successorem eius et caedis auctorem tanto illi honore habito, suspicionem a se amoliri voluisse dicamus.

Getae vultus parum erat suspectus, immo vero optima quaeque de illo sperandi materia inerat. E barba, quae ei mature, (nam viginti tres annos natus periit,) satjs prolixa existit, sapientiam annos superantem sperare licebat. Certe haud improbabiliter colligas, si quis tum, quum lanugo prodit, sapiens sit, eum adultiori aetate prudentissimum fore.

Atque profecto ille prudens, lenis, et gratus fuit, eique inde mortis causa exstitit. Nam quum illum magis amari quam se, vide-ret frater inuidus et perditus, e medio eundem sustulit, satisque impudenter ad illud cri-men defendendum excitare conatus est Papianum, iuris consultum, qui vero sapientissime respondit: parricidium facilius patrari, quam excusari posse. Vestigia quidem ipsius liberalitatis exstant expressa in nummo raro, quem ipse possedi aliquando: in quo plebi vna cum fratre Caracalla distribuit congiarium, quo nomine appellabatur frumenti distributio.


Maximini corporis forma, Gigantum instar, ad octo et quod excurrit, pedes assur-rexit, ita ut vxoris armilla annuli loco vtere-tur. Fortis et robustus, tamquam alter Milo, ut omnibus terrorem incuteret, et Balbinus, nomine ipsius auditio, corpore toto contremi-sceret. Mento valde profecto et acuto vtebatur, certo, quod supra iam docuimus, superbiae et crudelitatis indicio. Violentus homo, superbus,

D 3

et



et omnium crudelissimus, quum existimaret,
nonnisi saeuitia imperium se retinere posse.
Denique quum insolita corporis mole, et ore
nimium patente praeditus esset, ut in heluoni-
bus deprehendimus, minus mirandum est,
quod historici tradunt, eum quadraginta car-
nis libras, totidemque vini sextarios sumisset.
Lineam solarem, hoc est, in medio fronte
transuersam, quam rarae felicitatis signum pu-
tant, in Maximino fuisse Fuchsius in Metopo-
scopia narrat. Iam plurimorum impera-
torum vultus examinare poteram, si in me
eam Physiognomiae scientiam esse intelli-
gerem, quae ad singulorum vultus dijudican-
dos sufficeret, eamque historiae cognitionem,
qua possem, an eorum animis respondissent
res gestae, discernere. Sed sufficiat, viam de-
monstrasse aliis, qui me vel plus otii, vel
scientiae habuerint.





vd18

78

86.

ULB Halle

005 018 501

3





IACOBI SPONII
MEDICI ET PHILOLOGI CLARISSIME
DISSERTATIO
DE
VTILITATE NVMISMATVM
IN
PHYSIOGNOMIA

E gallico sermone in latinum vertit
T. B.



LIPSIAE
AP. VEIDM. HAERED. ET REICHIUM
1776